



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Quomodo vas paretur ad oleum extrahendum, sine combustionis timore,
& plus olei eliciatur. Cap. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

eo peruento, inclinato vase, descendet purissimum oleum, & purgatū, vbi aliquid euacuasti, sensim aquam addendo, ascendit oleum ad canaliculum, eoq; iterum inclinato, reliquum transfundas. Si vero oleum subsidet, aqua superaddatur, vt multoties eueniet, in latam fideliā, vel quodcunq; vas impositum, gossipino licinio adoprato, aqua foras transmeabit, oleum purissimum quod superest, in fundo residet.

Quomodo vas paretur ad oleum extrahendum, siue combustionis timore, & plus olei eliciatur.

CAP. VIII.

POSSVMVS & vasis diuersimodè effigiatis, diuersas oleorum, & aquarum extractiones in vsum exprimere, interea vnum inuenimus, quo igne quantumuis vehemēti sine combustionis discrimine possumus oleum exugere, & maiori quam quouis alio, quantitate, & diuersis quoq; vsibus accommodandū. Concinnetur igitur vas æneum in oui formam, cuius capacitas sit mediocritatis vulgaris dolij, in fastigio os apertū habeat tantæ latitudinis, quod ingressuro, & egressuro brachio sit percommodum, si quando lauari opus sit, aut alternatis distillandarum rerum ordinibus repleturi sumus. Sit intus stanno perlitum. Vasi dehinc pileus æneus pedem altus imponitur, in imo foramen collo inferioris aheni recipiendo commodum habeat, eiusque os extremo orarum suarum ambitu exactè includat. In pilei summo æneus canalis excurrat quindecim, aut viginti pedem, per flexuosas ambages in se recurrentes, vt commodius feratur, & minus occupet loci, qui in alterius vasis vtero infigitur, hoc aluo turgens, non tantæ capacitatis ac primum, summa pars eius in angustum collum extenuetur, cui alter canalis insideat, eiusdem longitudinis, eisdemque anguineos flexus retineat, cuius postremum osculum, alium canalem rectum subiintrat, qui dolium per mediū penetrans, tandem in receptaculum labatur. Hoc autem pacto ad vsum veniet. Minutatim concisa folia, caules, aut semina in ahenum imponantur, aqua fontana limpida superfusa,

perfusa, donec super eadem palmari, aut quinque lato-
rum pollicum altitudine excrescat, dein supra pileos
imponitur, & optimè commissuræ coaptentur, extre-
ma canalis pars in aliud vas inditur, ora ritè commit-
tantur, deinde altero pileo immisso canalis retorti ex-
tremum in rectum aliud intromittitur, qui per vege-
tem transiens in receptaculum se recipit. Commissu-
ræ, si qua ex parte hient, arctè stupa infarciantur, dein-
de farina triticea, & oui albumine glutinentur, superin-
ductis vesicæ teniolis, atq; strictè religatis, nam quum
vi ignis vrgentur vapores, adeò attenuantur, vt per ri-
mas, & tenuissimas quasque commissuras perumpant,
vt eos retinendi, omnem ferè conatum subterfugiant.
Dolium frigida aqua repleatur, & si tempore caloscit,
recluso inferiori epistomio, foras euacuetur, & frigida
superfundatur, vt nouæ aquæ affusione, perpetuo ca-
nalis rigeat. Ignis tandem, vt contenta in aheno vase
feruescentia ebulliant, exciretur, principio lentus, pau-
latim crescens, adeoque vehementer excrescat, vt vr-
gentis vi ignis per retortos anfractus pertranscuntes
vapores, quasi vas disrupturi perstrepent. Sic inferiori
vase aqua ex phlegmate deposita, per retortos canales
in sublime feruntur, & per frigidum canalem pertrans-
euntes, in liquorem coacti, in receptaculum regurgita-
bunt. Si aqua ex continua bullitione destituatur, vas
habeat ahenum è latere canaliculum cum suo episto-
mio, per quem calida aqua superinfusa restituatur, epi-
stomio optime concluso, ne respiret: oleum postea per
separatorium ab aqua se gregetur, & alio vase depurari,
& sublimari poterit. Ex omnibus, quæ adhuc videre
contigit, nullum vas copiosius oleum exugens, & mi-
nori labore, & industria vidimus. Sic ex floribus, folijs,
aromatibus, resinis, lignis sine combustionis metu va-
lidissimo igne oleum elicere poterimus, vt ex granis iu-
niperi, & lauri.



Vas descensorium per balneum describitur, quo oleago descendendo paretur. CAP. IX.

CONTINERE me non possum, quin hoc loco priuatim quibusdam meis experimentis inuentum vas prodam, haud parum, vt spero, ingeniosis profuturum, qui omni sublato vstionis timore, ex tenuissimis quibusq; rebus oleum extrudere possint. Sunt enim quamplurimi flores tenuissimi, oleaginci, vt rosmarini, iuniperi, alliorū, moschum, ambara, zibethum, succina, & eiusmodi, ex quibus oleum elicitur odoratissimum, & medicis vsibus commēdatissimum: sed adeo tenuis essentia, & cōsistentiæ sunt, vt miram in modū vi ignis virgeti